

ILLUSTRISSIMO VIRO
D.D. DUCI DE NIVERNOS, &c;
POST OBITAM APUD ANGLOS
DE PACE LEGATIONEM;

*Cum sub ejus auspiciis nobilis Adolescens
MOLEON DE CAUSSANS in Collegio Mazarinæo
Convictor de Litteris publicè responderet.*

NUNC ô peritæ Mercurialium
Caput Virorum cingere floribus,
Queis una nuper bellicosas
Cura fuit redimire frontes,



DUM Regna Mavors concuteret ferus,
Adeste, Musæ; Carminibus novis,
Et aure dignis delicatâ,
Pacificus celebrandus Heros;

QUI grata vobis reddidit otia;
Apollinarem qui benè Lauream,
Gentilis hæres laudis, addit
Tot gravibus Titulis Honorum.

FALLORNE? gratus jam Chorus Artium
 Lauris olivas confociat TIBI,
 Almæ Minister Fauſtitatis,
 Pacis & Aonidum Sacerdos.

OBLITA Martem & ſanguinis immemor
 Per te Juventus, Pieridum redux
 In Caſtra, jam ſolas laborat
 Ingenii retuliſſe Palmas.

AT MAGNA debent ſi tibi Litteræ,
 Majora debes tu quoque Litteris;
 Hinc fonte manârunt beato
 Mille animi bona, mille mentis,

DOCTRINA claro ſanguine clarior,
 Virtusque magnis major Honoribus,
 Gazisque Fortunæ ſuperbis
 Divitiæ pretioſiores.

HINC illa nuper Muneris ardui
 Impoſta moles, mentibus hoſtium
 Afflare Pacem, quam paterno
 Corde pius Lodoix gerebat;

ET Jura Regum Fataque publica
 Æqui magiſtris pendere Lancibus;
 Laudumque rectè parcus hoſtis
 Tergeminos dedit ipſe plauſus,

ACHILLIS iras atque Agamemnonis
 Quis temperaret Nestore molliùs,
 In flore qui maturus ævi
 Consiliis superat Senectam;

CUI Labra dulci melle fluentia,
 Rerumque prudens Usus, & efficax
 Vis mentis ambages dolosas
 Solvere difficilesque nodos?

TALEM, superbis æmula Regibus
 Quem vestiebat Purpura, JULIUM
 In mille solertem ire formas
 Vidit & obstupuit videndo

HISPANA Tellus. Scilicet hoc tuæ
 Fatale Genti vincere pectora
 Infensa Gallis, atque amicis
 Fœderibus Populos beare.

HEU! quanta quondam, quàm fera prælia
 Hinc Gallus, illinc Miles Ibericus
 Anglusque pugnarunt! propinquas
 Ipsa etiam absciderat futuri

NATURA prudens montibus arduis
 Fretisque terras: JULIUS imperat?
 Jam nulla Pyrene, superbi
 Culmina jam posuere montes.

SIC, Te Ministro, quæ prius æquora
Gallo Britannum diffociaverant,
Amica subsidunt; utrumque
Pax animis maribusque jungit.

ERGO, Juventæ nobilis Hospita;
Inter Palæstras inclyta cæteras,
Quam Pompa Regalis Domorum,
Sed magè nobilitant Camenæ,

O MAZARINI filia, nunc caput
Ad astra tollas ambitiosior,
Jactare quæ possis tuarum
Tale decus columenque rerum.

Typis mandetur
aio Rector FOURNEAU.

Offerebat ANTONIUS GUYOT,
Quarti Ordinis Professor in
Collegio Mazarinæo.